



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni
Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

Kinckius, Matthias

Coloniæ, 1662

De defectibus materiæ panis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](#)

N

D E D E F E C T I B V S
*Materiæ.***I I.**

Defectus ex parte materiæ possunt
contingere, si aliquid desit ex iis, quæ
ad ipsam requiruntur. Requiritur enim
ut sit panis triticeus, & vinum de vite:
& ut huiusmodi materia consecranda,
in actu consecrationis sit coram sacer-
dote.

D E D E F E C T V
*Panis.***I I I.**

1. Si panis non sit triticeus, vel si tri-
ticeus, admixtus sit granis alterius ge-
nètis in tanta quantitate, ut non maneat
Panis triticeus, vel sit alioqui corrup-
tus, non conficitur Sacramentum.
2. Si sit confectus de aqua rosacea,
vel alterius distillationis, dubium est an
conficiatur.
3. Si cœperit corrupti, sed non sit cor-
ruptus; similiter si non sit azymus, seu

G 6 cur

cundum morem Ecclesiæ Latinæ conficitur, sed conficiens, graviter peccat.

4. Si Celebrans ante Consecrationem adverterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticem, remota illa Hostia aliam ponat, & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eolo loco, ubi desivit.

5. Si id adverterit post Consecrationem, etiam post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut suprà, & à consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, *Qui pridiē, quāmpatetur,* & illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis & Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conserveret. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam, quam consecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris est ponderis, quam quod à ieiunis sumatur.

7. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut suprà, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridiē,* ac statim sumat utrumque, & pro-

& prosequatur Missam : ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo.

7. Si hostia consecrata disperat , vel casu aliquo, ut vento aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta , & nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, *Qui pridiè, quām patetur, facta eius prius oblatione, ut suprà.*

{ DE DEFECTU VINI,

IV.

1. Si vinum sit factum penitus acetum ; vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum , vel ei admixtum tantum aquæ , ut vinum sic corruptum ; non conficitur Sacramentum.

2. Si vinum cœperit acescere, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua , aut rosacea, seu alterius distillationis ; conficitur Sacramentum, sed cōficiens graviter peccat.

3. Si Celebrans ante Consecrationem Sanguinis, quamvis post Consecrationē

G 7

Cox.